



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Genovefa Virgo. 3. Ianuarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

Hæc ubi dixit, crucis signo armatus omnes cruciatus imperterritus & animo & vultu superavit, ostenditque, quæ militi honestissima essent vulnera. Ex Surio.

*Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi. Ideo Paulus ajebat, Sic currite, ut comprehendantis. Ibi tu Christiane fige tui cursus profectusq; metam, ubi Christus posuit suam. S.Bern.Ep.253.*

## S.GENOVEFA VIRGO. 3.Ianuarii.

**N**on ego GENOVEFAM laudem, cùm vel parentes ejus, quòd tales genuissent, B. Germanus laudarit. Transibath hic Lutetiâ Parisiorum in Britannias Pelagianos oppugnaturus, cùm GENOVEFAM parvulam tunc puellam intuitus, latere in eâ ingentem virtutem vidit. Itaque blandissimis verbis vitæ religiosæ studium tenellæ suasit. At illa jam tunc annuit. Ergo mnemosynon capit nummum Cruce insignem, jubeturque è collo suspendere, nullo dehinc muliebri mundo temerando. Arrha fuit hic nummus Christi sponsæ, neque fefellit. Noluit deinceps parvula domi agere, sed sui officii identidem clamitabat esse, templam frequentare. Quare fuit, cùm lacrimis suis molestam & clamoribus mater alapâ castigaret. At continuò cæca facinus suum vidit. Lucem deinde biennio pòst à filiâ, cui dederat lucem, recepit. Cæterùm hæc velo inter virgines involuta Parisiensibus contra omnes Attilæ exercitus unicum præsidium fuit. Cibum non nisi bis in hebdomade, vinum virginitatis venenum nunquam admisit. Quoties cælum aspexit, hoc gaudiis, illa lacrimis pluere visa. Virtutem in absente Simeon Stylites laudavit, & saepiusculè salutavit per nuntios. Apud

Reges

Reges quoque Childericum & Clodoveum tan-tum potuit, ut à morte virgo absolveret, quos ju-dices damnârant. Sed parum hoc est, quando idem apud DEVM potuit, & lectulo daninatos ægros, passim à morbis absolvit. Quid? quòd quem abstulerat jam, imperio GENOVEFÆ puerum mors redidit; credo ut ne deesset, qui virginem Matrem clamaret. Ex Sur. & Lippel.

*Per baptismatis Sacramentum Spiritus S. factus es templum: noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subjecere servituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, qui in veritate te iudicabit, qui misericorditer te redemit. S. Leo serm. I. de Nat. Chr.*

S. RIGOBERTUS EP. 4.Ianuarii.

**D**iscite, qui alienam nobilitatem non aliter ac hereditatē aditis, amplius etiam vestrā operā hanc condecorare; imò domi vestræ, hoc est, apud animum vestrūm verām nobilitatem quærere. Nos ēā in re doctorem ecce vobis RIGOBERTVM suggerimus: hic gentis suæ splendorem literis, literas pietate illustravit: hanc Rhemenſes infulâ ornarunt: ille iterum hanc multis magnisque virtutibus, velut gemmis distinxit. Sacerdotes primus id loci in unum eoëgit, reditusque, de quibus viverent, communes fecit. Familiariter Magistro equitum Pipino est usus, qui xeniolis, quæ Divus redeunti à venatione missitabat, multum delectatus terræ tantum aliquando concessit, quantum RIGOBERTVS, dum ipse dormiret, ambulando potuit circumscribere. Ab eo tempore nusquam ali bi vel campi, vel agri lætiūs ridere, ridentibus nusquam mitius cælum arridere. Aurea tempora & æternum